



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XV. De potestate examinandi ordinandos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

bant, nisi Petro competiisse primatum quendam ordinis inter Apostolos, & quidem ut inter Collegas seu collaterales, non autem ut subordinatos. Nulla autem hinc inferri potest prærogativa potestatis, neque successori- bus potius & majus quid tribui potest; sed sicut omnes Apostoli parem acceperunt potestatem clavium: ita quoque omnes ministri Ecclesiæ jure divino æquales sunt in pastoritio officio, nec possunt partem aliquam clavium usurpare, partem autem Episcopis solis vel etiam Papæ reservare.

X. Ridere oportet, quando Augustinus Barbosa *de offic. & potest. Episcopi part. 3. alleg. 88.* istos sibi colligit flosculos, Episcopum in diocesi sua *plenas indulgentias ideò dare non posse, quia singularum diocesium thesaurus indulgentiarum generali thesauro commixtus non ita locuples est fortassis, ut inde plena remissio concedi possit, solo thesauro generali, qui Pontifici in universum commissus est, nunquam deficiente: hunc ipsum, quo plus inde hauritur, eo plus accipere incrementi, instar fontis vel putei semper uberius abundantiusque scaturientis, propter operum piorum, quæ temporibus indulgentiarum fiunt, abundantiam: Papam posse dare sibi ipsi indulgentias, recipere enim eas, ut Ecclesiæ membrum, ut verò caput concedere: potestatem dandarum indulgentiarum non esse annexam clavibus ordinis, vel sacramento pœnitentiæ, sed clavibus jurisdictionis externæ: Episcopum in dedicatione Ecclesiæ unius tantum anni indulgentiam concedere posse, & in anniversario dedicationis vel aliàs solùm indulgentiam quadraginta dierum: indulgentias papales non solùm pœnitentiis à Confessariis junctas auferre, verùm etiam pœnitentiis quascunq; ipsi justitiæ divinæ quomodocunq; debitas: Episcopum gaudere & frui posse indulgentiis, quas aliis concessit. Pudet & piget referre fuciles & commentitias sententias alias, quibus ut plurimum tractatus suos exornare solent indulgentiarum præcones, qui tamen absolvi à *περὶ πονηρίας* nequeunt, quando thesaurum istum pro ditioribus apertum esse volunt, nec pauperes ad ejusdem felicitatis usum facillè admittunt. Sic enim Augustinus de Ancona *de potestat. Pap. q. 30. a. 3.* Quantum ad remissionem pœnæ, quæ acquiritur per indulgentiam, in tali casu non est inconveniens, quod dives sit melioris conditionis, quàm pauper.*

CAP. XV.

De Potestate examinandi ordinandos.

I.

Interest Ecclesiæ, ut habeat sacerdotes eruditione & virtute præstantes, cum & vitâ atque moribus irreprehensibiles. Utrumque enim hoc, eruditio scilicet & sanctitas vitæ, exigitur ab eo, qui, ut rectè se habeat cultus divi-

divinus, utve Ecclesiæ sua constet integritas, ministerium suum addicit, & ad hoc operam venditat. Alterutrum non sufficit, quanquam satius fuerit, si comparatio institui debeat, pietate aliquem & exemplo præstantem esse, quam scientiâ. Utrumque verò etiam post factam & probè consideratam hanc comparisonem exigit Karolus Magnus Imp. in *epist. generali de schol. instit.* Quamvis enim, inquit, melius sit bene facere, quam nosse, prius tamen est, nosse, quam facere. Debet ergò quisque discere, quod optat implere. Et profectò fœdius ac turpius nihil est, quam eum qui alios vitæ sanctitatem docet, vitam agere doctrinæ suæ contrariam: aut aliquem existimare, probè se satisque Theologi partibus defungi, quando veritatem divinam proponit ac tuetur, atque adversus errantes accuratè & acutè disputare potest, ut maximè omnes impuritates & turpitudines quotidie ipse suscipiat. Utrumque optimè conjungit Hilarius *lib. 8. de Trinit.* Non statim, inquit, boni atque utilis Sacerdotis est, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter prædicare; cum & innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit; & doctus sine doctrina sit autoritate, nisi innocens sit.

II. Quocirca non Episcopi tantum, sed reliqui etiam Clerici pro cuiusque statu atque conditione non aliter ad officium admittebantur, nisi prævio examine, & excusis probationibus, quæ de vitâ ante actâ haberi poterant. Nec sine ratione Justinianus Imperator corruptelas sui seculi inde quoque natas putat, in *novell. 137. c. 1.* quod Clerici sine prævio examine ministeriis applicentur. Illud quoque, inquit, nihilominus quibusdam peccandi occasio fuit, quod absque examinatione & rectæ fidei atque honestatis vite testimonio ordinantur Episcopi, presbyteri diaconi, & reliqui Clerici. Nam si ad orandum pro populo destinati, indigni divino ministerio inveniantur, quomodo pro transgressionibus & delictis populi DEUM propitiare poterunt? Planè ordinationes Sacerdotum cum omni diligentia & rigore fieri oportere docet nos, & qui inter Sanctos censetur Gregorius Theologus &c. Enimverò in ordinandis olim Sacerdotibus communia plebis cum Clero vota recenset Cyprianus *lib. 2. epist. 5. de Aurelio, & epist. 20. de Celerino*, Clericis ac Lectoribus ordinatis. Quem in finem etiam Leo *epist. 89.* Episcopis per Viennensem provinciam constitutis rescribens, dum improbat factum Hilarii jus Metropolitanæ sibi arrogantis, ad hanc receptam consuetudinem provocat: Expectarentur certè, ait, vota civium, testimonia populorum, quaeretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in Sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui norunt Patrum regulas, custodiri, ut apostolicæ autoritatis norma in omnibus servaretur, quâ præcipitur, ut Sacerdos Ecclesiæ præfuturus, non solum attestazione fidelium, sed etiam eorum, qui foris sunt, testimonio muniatur. --- Teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, Ordinis consensus & plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur. Et Cælestinus I.

Nnn

epist. 2.

epist. 2. ad Episcopos Gallia: Cleri, plebis, & ordinis consensus & desiderium requiratur in ordinatione Sacerdotum. Atque hinc generaliter decrevit Concilium Carthaginense III. c. 22. Ut nullus ordinetur Clericus non probatus, vel Episcoporum examine, vel populi testimonio. Imò verò ipsum Concilium Nicænum disertè de presbyteris c. 9. hoc edidit decretum: Si qui sine examinatione presbyteri promoti sint, vel cum discuterentur, peccata sua confessi sint, eisque confessis, homines contra Canonem moti, manus imposuerint, tales Canon non admittit. Quod enim reprehensibile est, Catholica Ecclesia non defendit.

III. Hinc igitur, quæ supra lib. 2. c. 4. de qualitatibus Episcopi diximus, maximam partem etiam locum inveniunt in sacerdotibus reliquis, ut adeo pleraque repeti hic debeant. Est enim hic perinde ut illic institutum scrutinium, hoc est, solennis inquisitio de ætate, scientiâ, moribus & idoneitate ordinandorum. Et in eum finem solebant olim ordinandorum nomina publicè proponi, ut unicuique de eorum vitâ & moribus referre liceret, cum fieri possit, ut Curios simulent, qui quotidiana vivunt bachanalia. Scientia quidem & eruditio tanta, quanta ab Episcopo exigitur, non videtur perinde necessaria olim fuisse presbyteris, uti colligere licet ex dicto Augustini, quod decreto suo inseruit Ivo Carnotensis part. 6. c. 22. Quæ ipsis Sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est liber Sacramentorum, lectionarius, baptisterium, computus, canon pœnitentialis, psalterium, homilia per circulum anni Dominicis diebus & singulis festivitibus aptæ. Ex quibus omnibus si unum defuerit, sacerdotis nomen in eo vix constabit, quia valde periculose sunt minæ Evangelicæ, quibus dicitur: Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Sed quod vitam & mores attinet, non minor presbyteris & reliquis Sacerdotibus, quàm Episcopis, commendata est sanctitas, quam si non sequantur, vix erit, ut docendo, arguendo & corripiendo quicquam proficere possint. Hoc ipsum inculcat Concilium Turonense III. c. 9. Presbyteri quoque & diacones in omnibus bonorum operum exhibitionibus Episcopi sui vestigia sectentur, & in bonorum morum probitate, quæ Episcopo sunt observanda, eadem & sibi observanda esse cognoscant.

IV. Videtur autem scrutinium istud ab ipsomet Episcopo olim fuisse institutum, quemadmodum & Paulus Apostolus Titum suum instruit c. 1. vers. 5. & 6. ut constituat per civitates presbyteros inculpabiles &c. Et ut eo sincerius esset iudicium, soliti fuerunt Episcopi adhibere reliquos suos Sacerdotes, quemadmodum luculentum eâ de re est testimonium Cypriani epist. 5. ad presbyteros & diaconos de ordinationibus Clericorum: In ordinandis Clericis solemus vos ante consulere. fratres charissimi, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. Et sic constitutum fuit deinceps post obitum Cypriani in Concilio Carthaginensi IV. c. 22. ut Episcopus sine

Concilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ita ut civium assensum & convenientiam & testimonium querat. Plurimum namque suffragio tum opus est, quandoquidem fieri vix potest, ut unus explorare queat singula tam expedite, quæ ex plurimum relationibus & auditionibus discenda atque colligenda sunt. Episcopus verò præcipuas partes in examine tali sustinuisse, certum est. Easque idcirco ab illis observari debere, sicubi à Patrono præsentatus quis fuerit, monet Justinianus Imp. *Novell. 57. c. 2.* ubi Mennam Patriarcham Constantinopolitanum his alloquitur verbis: *Decernimus, si quis edificans ecclesiam, aut etiam aliter expendens in eâ ministrantibus alimenta, voluerit aliquos clericos statuere, non esse fiduciam ullam, quos vult, per potestatem deducere tue reverentiæ ad ordinandos eos, sed examinari à tuâ sanctitate: sententiâq; tuâ, & qui pontificalem Sedem rexerit, semper hos suscipere ordinationem, qui tue beatitudini, & qui postea opportuni videbuntur existere, & DEI ministerio digni.*

V. Successu temporis videtur id negocium datum quibusdam aliis, ut inquirerent & discerent, quæ esset ordinandorum scientia, quæ morum integritas, quæ vitæ transactæ ratio. Quorum iudicio deinceps vel admittebat Episcopus Candidatum ad ordinationis actum, vel repellebat. Patet id ex Concilii Namnetensis *canone 11.* cujus hæc sunt verba: *Episcopus quando ordinationem facere disponit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere volunt, feria quarta ante ipsam ordinationem evocandi sunt ad civitatem, unâ cum archipresbyteris, qui eos præsentare debent. Et tunc Episcopus è latere suo dirigere debet Sacerdotes & alios prudentes Viros, gnaros legis divinæ & exercitatos in Ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, etatem, institutionem, locum ubi educati sunt, si sint benè literati, si in lege Domini instructi, diligenter investigent. Ante omnia, si fidem Catholicam firmiter teneant, & verbis simplicibus asserere queant. Ipsi autem, quibus hoc committitur, cavere debent, ne aut favoris gratiâ, aut cujuscunque muneris cupiditate illecti, à vero deviant, ut indignum & minus idoneum ad sacros gradus suscipiendos Episcopi manibus applicent. Quod si fecerint, & ille qui indignè accessit, ab altari removebitur, & illi, qui donum Sancti Spiritus vendere conati sunt, coram DEO jam condemnati, Ecclesiasticâ dignitate carebunt. Igitur per tres continuos dies diligenter examinentur, & sic Sabbato, qui probati inventi sunt, Episcopo represententur. Recensetur à Gratiano c. quando dist. 24.*

VI. Ut verò paratiores ad examen subeundum aliquando essent, qui promoveri cupiebant, receptum aliquando fuit, & synodali decreto confirmatum, ut presbyteri juniores Clericos informarent, & tum in iis, quæ fidem concernunt, quam, quæ ad disciplinam conservandam pertinent, privatim erudirent. Idque in Vasensi Concilio *II. can. 1.* constitutum legitur: *Hoc enim placuit, ut omnes presbyteri, qui sunt in parochiis constituti,*

secundum consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores Lectores, quantoscunq; sine Uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant, & eos quomodo boni patres spiritualiter nutri- entes, psalmos parare, divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire con- tendant, ut & sibi dignos successores provident, & à Domino præmia æterna recipiant. Fuerunt ergo tum temporis presbyteri reliquorum Clericorum informatores, imò fortasse & aliorum successu temporis, eorum scilicet qui sacris nondum initiati erant. Id namque innuere videtur Riculfus Sues- sionum Episcopus, dum c. 16. ait: *Presbyteri scholarios suos modeste dis- tringant, castè nutriant, & sic literis imbuant, ut malà conversatione non destruant; & puellas ad discendum cum scholaris suis in scholâ suâ nequaquam recipiant &c.* Non quod puellas recipere prorsus non debeant, sed quod non liceat eas jungere Scholaris. Puellas autem quibus recipere permissum est, etiam alios discipulos masculos, qui Clerici non sunt, recipere non erit prohibi- tum, uti mox dicam.

VII. Ordinariè tamen in Galliis videtur unusquisque presbytero- rum, specialem sibi commendatum habuisse Clericum, quem in religionis negotio idoneum ministeriis sacris redderet, præter scholares reliquos qualicumque aliâ ejus informatione utentes. Disco id ex Waltherii Epi- scopi Aurelianensis capitulis, quæ inseruit supplementis ad Concilia Gal- liæ Petrus Delalande pag. 182. Inter illa in ordine sextum ita se habet: *Ut unusquisque presbyter suum habeat Clericum, quem religiosè educare pro- curet; & si possibiliter illi est, scholam in Ecclesiâ suâ habere non negligat, so- lenterque caveat, ut quos ad erudiendum suscipit, castè sinceriterque nutriat.* Scholæ illæ plerumque ex pueris aut puellis constabant, quos propterea presbyteris commendatos esse voluit Theodulfus Episcopus Aurelianen- sis in capitular. num. 20. Presbyteri per villas & vicos scholâs habeant, & si quilibet fidelium suos parvulos ad discendas literas eis commendare vult, eos suscipere & docere non renuant, sed cum summâ charitate eos doceant &c. Quod si presbyter ipse scholis habendis, vel propter occupationes, vel aliâs, superesse non poterat, tenebatur eam in rem constituere Clericum, uti refertur in capitulis Hincmari Remensis, quæ præscripsit Magistris & Decanis presbyteris num. 11.

VIII. Majores verò & illustriores scholæ Clericorum gratiâ institutæ erant, ut seminarium in illis haberetur, ex quo Ecclesiâ idoneos aliquando sibi petere posset ministros. Admonuerat eâ de re Ludovicus Pius Imp. Episcopos in Attiniaco palatio congregatos, neve id memoriâ excideret, repetitum mox voluit in capitulari II. n. 5. *Scholæ sanè ad filios & ministros Ecclesiæ instruendos vel edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promi-*

promissis, & vobis injunximus, in congruis locis, ubi nec dum perfectum est, ad multorum utilitatem & profectum à vobis ordinari non negligentur. Fecit hoc ardentissimum laudatissimi Imperatoris in promovendis literis studium, ut Episcopi deinceps in Concilio Parisiensi VI. congregati, sub num. 30. tale ederent decretum: Jam dudum à pio & orthodoxo Principe Domino Ludovico DEO amabili Imperatore jussum & admonitum est, ut Rectores Ecclesiarum in Ecclesiis sibi commissis strenuos milites Christi, quibus DEUS placari posset, præpararent, & educarent. -- Sed super hâc ejusdem Principis admonitione, imò jussione à nonnullis Rectoribus tepidè & desidiosè hætenus actum est. Unde omnibus nobis visum est, ut abhinc postposita totius torporis negligentia, ab omnibus diligentior in educandis & erudiendis militibus Christi, & vigilantior adhibeatur diligentia, & quando ad provinciale Episcoporum Concilium ventum fuerit, unusquisq; Rectorum, sicut jam in precedentibus memoratum est, scholasticos suos eidem Concilio adesse faciat, ut suum solers studium circa divinum cultum omnibus manifestum fiat. Referunt se Decreti hujus Conditores ad decretum antecedens 26. quod, quales fuerint tùm temporis tales discipuli, his verbis exponit: Visum siquidem nobis & valde profuturum sanctæ DEI Ecclesie fuit, ut quia Ordo Canonicus docet, ut in ipsis Conciliis adsint presbyteri & diaconi, & omnes qui se laicos existimant, & Synodi experiantur examen, ut adsint etiam uniuscujusq; Episcopi eruditi viri, quos ad Christi militiam, ejusq; Ecclesie honorem, utilitatemq; præparat, quatenus & cæteris Ecclesiis notè sint, & studium ac providentia Episcopi ad aliorum exempla manifesta fiat.

IX. In Oriente unà cum presbyteris etiam diaconis hanc curam incubuisse, ut minorum ordinum Clerici digni & apti efficerentur ad officium suum, colligo ex canonibus Basilii Magni, sub num. 90. hæc verba facientis: Eos qui Ecclesie ministrabant, olim consuetudo, quæ in DEI Ecclesiis obtinuit, accuratissime probatos admittebat, & omnis eorum vitæ agendæ ratio curiosè inquirebatur, annon essent maledici, annon ebriosi, annon prompti ad pugnas, an suam juventutem rectè erudirent ac castigarent, ut possent sanctificationem rectè gerere, sine quâ nemo Dominum videbit. Et hæc quidem examinabant presbyteri & diaconi, qui cum eis versabantur. Referebant autem ad Chorepiscopos, qui à verè testificantibus susceptis suffragiis & eorum admonitis Episcopis ita ministrum in sacerdotalem numerum coaptabant. Præparabant igitur presbyteri & diaconi Clericos inferiores, & de eorum habilitate examen instituebant, & relatione ad Chorepiscopum factâ de industriâ eorum testimonium ferebant, ut Episcopus deinceps eos in clerum reciperet.

X. Sed & ad ipsos etiam Episcopos cura hæc pertinebat, ut erudirentur promovendi in omnibus illis, quæ ad ministerium Ecclesiasticum sustinendum necessaria erant. Ideoque jubet Concilium Francofordiense can. 29. ut unusquisq; Episcopus sibi subditos bene doceat & instruat, ita ut in do-

mo DEI semper digni inveniuntur, qui canonicè possint fieri electi. Et in hunc finem decretum fuit in Concilio Turonensi III. c. 12. ut priusquam quis ad consecrationem presbyteratus accedat, maneat in Episcopo discendi gratia officium suum tamdiu, donec possint & mores & actus ejus animadverti: & tunc, si dignus fuerit, ad sacerdotium promoveatur. Et in Concilio Carthaginiensi III. c. 3. ut ordinandis Episcopis vel Clericis prius ab ordinatoribus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse pœniteat. Debet enim Episcopus generali hâc sollicitudine animum intendere, ut legitimè se habeat in Ecclesiâ cultus divinus, qui certè se ita habere nunquam poterit, nisi id, quod officii sui est, unusquisque expediat accuratè. Et propterea tenetur Episcopus, etiam post ordinationem, in presbyterorum actiones subinde inquirere, novoque examine, quandocunque libuerit, eorum habilitatem explorare. Prostat eâ de re Karoli Magni Capitulare Aquisgranense, quod sub num. 70. his verbis conceptum est: *Ut Episcopi diligentur discutiant per suas parochias presbyterorum fidem, baptisma catholicum, & missarum celebrationes, ut fidem rectam teneant, & baptisma catholicum observent & missarum preces benè intelligant, & ut psalmsi dignè secundum divisiones versuum modulentur: & Dominicam orationem ipsi intelligant, & omnibus prædicent intelligendam, ut quisq; sciat, quid petat à DEO: & ut Gloria patri cum omni honore apud omnes cantetur, & ipse Sacerdos cum sanctis angelis & populo DEI, communi voce Sanctus, Sanctus, Sanctus decantet.* Tali scil. modo, dum per inspectionem Episcopi in perpetuo exercitio atque præscripto officii sui usu agitantur presbyteri, dubium non est, ad ornandum juvandumq; cultum divinum nihil magis esse accommodatum.

XI. Dixi, non esse ordinandum, nisi in examine prævio habilem se & idoneum præsticisset. Singulare igitur fuit exemplum, quod de Meroveo Chilperici Regis Francorum filio refert Gregorius Turonensis *histor. lib. 5. cap. 14.* Missus erat ille à Patre ad Pictones, post in Aquitaniam transmitendus. Is verò in Turonibus aliquandiu moratus, mox Cenomanos petens, velut invisurus Audocram matrem, ibi exulantem, repente Rothomagum Brunehildem Sigeberti patruï viduam eò relegatam advolat. Quam cum deinceps, assentiente Prætextato Rothomagensi Antistite, Uxorem duxisset Chilperici Patris odium incurrit, & Fredegundis nocentis amaritudinem atque vires ingenii adversus se expertus fuit. Morti eum destinaverat Pater, sed Fredegundis novum molita mortis genus, persuasit ut attonsa comâ juvenem ad sacerdotium adigeret. Crine ergò deposito ac mutatâ veste Meroveus adscribitur Clericis, atque Aninsulam cenobium in Cenomanicis, jam ordinatus presbyter, detruditur, ut illic quæ ad officium Sacerdotis explendum pertinent, addisceret. Hæc enim sunt verba Gregorii Turonensis: *Post hæc Meroveus cum in custodia à patre retineretur,*

neretur, tonsuratus est, mutatq; veste, quâ clericis uti mos est, presbyter ordinatur & ad monasterium Cenomannicum, quod vocatur Aninsula, dirigitur ut ibi Sacerdotali erudiretur regulâ. Fuit igitur Meroveus ordinatus, antequam per examen de ejus habilitate constaret, imò antequam ea, quæ scitu necessaria sunt, didicisset. Discere autem ea debuit in monasterio, ex quo tamen difficulter olim Gelasii tempore petiti fuerunt Clerici, uti patet ex cap. 1. dist. 55.

XII. Sed & communiter omnes presbyteri, ut hoc obiter addam, obstricti erant aliquando, ut certo tempore studiorum causâ civitates frequentarent. Sic enim præceptum legitur in capitulis Herardi Archiepiscopi Turonensis, c. 73. ut *discendi gratiâ ad civitatem, vel ad loca constituta, presbyteri veniant, quadragesimali tempore.* Id verò mutatum quidem est in Capitularibus Karoli M. lib. 1. c. 99. sed quoad tempus tantum, & constitutum, ut *discendi gratiâ alio, non quadragesima, tempore ad civitates convocentur.* Credo ego, eodem tempore illos rationes villicationis suæ reddere oportuisse, ut & hâc ratione, si quid minus rectè gestum fuisset, id per admonitionem Episcopi addiscerent. In iisdem enim capitularibus lib. 7. c. 108. constitutum legitur, *ut unusquisq; presbyter per singulos annos Episcopo suo rationem ministerii sui reddat, tam de fide Catholicâ, quàm de baptismo, atq; de omni ordine ministerii sui.* In Hispaniâ autem ratio officii gesti reddenda erat tùm, quando ad Litanias vel ad Concilium veniebant, secundum canonem 25. Concilii Toletani IV.

XIII. Cæterum, quæ scitu necessaria sint Sacerdotibus, quæque num fatis cognita illis sint, sub examen revocari debeant, ex jam dictis constare arbitror. In compendium ea redegit modo memoratum Concilium Toletanum IV, cap. anteced. 24. Sacerdotes *legere sanctas scripturas frequenter admonet Paulus dicens ad Timotheum: Attende lectioni & exhortationi Sc. Sciant ergò sacerdotes scripturas sanctas, & canones meditentur, omne opus eorum in prædicatione divinâ & doctrinâ consistat, atq; edificent cunctos, tam fidei scientiâ, quàm operum disciplinâ.* Apud Reginonem Abbatem Prumiensem lib. 1. de Eccles. discipl. post init. habetur integer catalogus eorum, de quibus examinari debet presbyter in ministerio jam constitutus; sed ea non ad ordinandum pertinent, sed ad jam ordinatum, nisi, quod etiam ordinandus in illis benè informatus esse debeat, ne si quando ad officium peragendum venerit, errorem committat, non sine scandalo totius Ecclesiæ, cui suam operam addixit. Et jam supra Augustini dictum adduxi, quo, quæ necessaria sint presbyteris, quasi in compendio exposuit.

CAP. XVI.